

Coniectanea.

I In Moreto rusticus describitur ante lucem de foco accendens lucernam :

*admovet his pronam submissa fronte lucernam
et producit acu stuppas umore carentes
excitat et crebris languentem flatibus ignem.*

- 13 *tandem concepto se lux fulgore recepit,
oppositaque manu lumen defendit ab aura
et reserat clausae quae pervidet ostia cellae.*

sic versum 13 Scaliger constituit, qui in libris sic decurrit *concepto sed lux fulgore recedit*. nec pulere ille commisit *concepto recepit* neque apte a rustico qui *admovet producit excitat* idemque *defendit et reserat*, actionem transiit ad subiectum aliud; denique ista si probatur scriptura, non potest intellegi nisi favillae ardor resuscitatus in flammam, series autem rerum ac descriptionis postulat ut accensa dicatur esse lucerna. corrigo igitur *tandem concepto sed vix fulgore recedit* id est vix tandem lumine in lucernam accepto abijt Simylus a foco ad cellam penariam.

versu 17 de frumento rusticus *sibi depromit quantum mensura patebat, quae bis in octonas excurrit pondere libras*. attendant hunc versum qui mensuras antiquas tractant. nam semodius farris dicitur iste quem inter vilissima munera Saturnalia Martialis numerat IV 46, 6, qui quod sedecim libras veteris, tredecim non multo plus novi ponderis habebat (Nissen metrolog. p. 10), id poeta hoc circuitu significavit *excurrit mensura in libras XVI*.

versu 23 libri boni bene *perverrit cauda silices*, hanc enim praepositionem Horatius tuetur sat. II 8, 11 dicens *gausape purpureo mensam pertersit*. omnino eximendum lexicis videtur *praeverrere* utpote nulla firmatum aut invalida auctoritate. certe quidem in Ovidi amoribus III 13, 24 quod commendatum ab Heinsio editores propagant *praeverrunt*, male convenit cum *veste iacente*; recte opinor Francofurtanus codex *praeberant*, ante pompam iuvenes ac puellae late iecerant vestem qua viam praeberent deae venturae.

versu 45 restitui oportet *admixtos nunc fontes*, quia respondere inter se poeta voluit *nunc* et quod subsequitur *interdum* tanquam in bimembri oratione: modo aquam et farinam miscet, modo manu factos grumulos sale spargit. nec derelinquenda erat in v. 60 antiquissimi codicis lectio haec *providus aeris*: rusticus ab hortulo suo sibi opem petit providens de aere, nequid necesse habeat emere alieni. at *heros* quod in aliis libris fertur, plane abhorret ab Simylo et Scybale et universi carminis vera ac severa simplicitate.

versus 66 *nec sumptus erat ullus opus, sed recula curae* clausulam praeclare ita emendavit Ribbeckius, prior pars corrupta videtur. vix enim crediderim, quoniam Vergilius *invalidus etiamque tremens* (georg. III 189) aut similia in hexametris non numquam posuerit, eo exemplo hunc poetam ausum esse etiam brevem in *sumptus* syllabam producere, eo minus quod ceteri versus omni licentiae crimine vacant. nec vero magis adsentior Maehlyo scribenti *ullius sed*, quia poeta hic tam elumbem versum fecit nullum, nam in illa structura caesuraque tertius pes dactylum sibi poscit, non spondeum, ut v. 34 *torta comam labroque tumens et* —. debilitate hac illa licentia tolerabilior. an fuit olim *nec sumptus erat ullus honos*?

v. 70 norat rusticus *occultae committere semina terrae vicinosque apte cura summittere rivos*. otiosum est et molestum *cura*, humile ac vix dignum camenis quod suasit Hauptius *apta cura*, nihilo meliora quae alii. poeta non iterasset *committere summittere*, nisi huic verbo pariter atque illi notam et distinctionem quandam adtribuere destinasset. itaque legendum propono *circa summittere rivos*, circa plantas quas disposuit et semina quae condidit horto toto.

v. 113 herbis contritis Simylus *Palladii guttas instillat olivi exiguique super vires infundit aceti*. Columella qui complures moreti compositiones tradit XII 57, in his illa semper inverso ordine ponit *aceti exiguum permisceto, oleum superfundito* vel *conterito acetumque et oleum adicito*, inversumque ratio si qua est lautitiarum ratio postulat. ante Columellam vixisse huius carminis scriptorem satis constat, qui v. 76 lactucam etiam tum ultimis mensis dari solitam significet, id quod iam Catus in Horati sat. II 4, 59 improbarat; tamen temporis argumentum ex inversione illa repetere nolo, potuit enim poeta consulto rusticum hominem ab elegantia facere declinantem. verum neque commode et praeter suam consuetudinem verbis ornamentum ambitiosum

adtextuit Palladium dicens olivum, non ut Atticum intellexeretur, sed quia Pallada Vergilius cum olea, Ovidius pro oleo nominant. ceterum frustra quaesivi argumentum quo conversum esse de graeco Moretum comprobaretur; nihil ad hanc rem valent graeca personarum nomina aut indoles poetae tenuis ac subtilis nutrita ut consentaneum est in sinu Hecales, contra faciunt non pauca ad vitam romanam adumbrata ut semodius frumenti, Afra fusca, quadræ panis, Vesta pistorum, nundinae et macellum urbis, nomen moreti a mortariis ductum (at μυσωτόν Callimachus ut videtur παρὰ τὸ μυσάτρεσθαι fr. 282).

II Copae editores plerique cum deteriores codices quam vetustiores sequi mallent, detraxisse mihi aliquantum videntur de arte et venustate edyllii. nam in vetustioribus quae exstant lectiones, partim manifesta antecellunt bonitate — ne dicam *topia et kalybas*, scaenam lasciviae poeta tabernam sumpserat *fumosam*, non *fumosam* — partim propriam Augusteorum poetarum scientiam vel audentiam insignitis notis referunt. velut v. 18 recte Bembinus et plurimi libri *sunt autumnali cerea pruna die castaneaeque nuces* eqs., male Vossianus et nuper editi autumnalem substituere deam. aperte enim imitatur poeta Propertii Vertumnus IV 2, in quo cum alia leguntur similia (*caeruleus cucumis* v. 43, Copae v. 22) tum haec v. 15 *hic autumnalia pruna cernis et aestivo mora rubere die*. nimirum pro re nata diem et aestivum dicere licuit et autumnalem, aestivum caloris sudoris pulveris causa, autumnalem in pomorum proventu. nam Canis arboreos aperit fetus, ut Columella ait in poeticis, vel ut in calendario rustico idem, pridie idus Augustas autumnus incipit. scriptam ego Copam post Propertii librum ultimum arbitror, sed quia pentametri clausula nondum lege nova adstricta apparet, proxime a. 738/16.

v. 23 de Priapo codices *armatus falce saligna sed non et vasto est inguine terribilis* festivius opinor quam editores qui et particulam tollunt: sit falce terribilis custos, non item est inguine. negationi accessit *et* ut in illo *non si male nunc, et olim sic erit*.

v. 28 *nunc vere in gelida sede lacerta latet*, ergo alias idem iactatur falso. velut Vergiliana persona in Alexi v. 9 *nunc* inquit *occultant spineta lacertos* ac deinde v. 66 vespertinae quietis et solis decedentis imaginem repraesentat, ut non tam vere illud de horis meridianis dixisse videatur quam figurate de aestu et refrigeratione amoris. utrum Vergilii descriptionem hic poeta respexe-

rit (certe illi quidem acceptum refert superioris versus exitum *arbusta cicadae*) an quae alia tum de bestiola vaga et nequam cantata aut sermone trita fuerint, nequeo satis decernere, tantum sentio optime habere *sede* nec male *vere*.

v. 36 recte libri *anne coronato vis lapide ista tegi?* persaepe poetae ac non soli poetae ad bipertitam sententiam ita adhibent participium, ut membrum hoc quamvis enuntiatione inferius re tamen et gravitate superius existat. sic iste hoc voluit: an vis lapide tegi eumque lapidem coronari istis sertis? potuit etiam extra numeros et tardius quam effectius: an tectus lapide hunc vis coronari istis? *coronato ista* inusitate dixit sed ut poeta, quomodo Vergilius *ferrum cingitur* pro *ferro*, neque causam non ostendit cur recederet ab usu. non minus inusitate v. 33 scripsit *formosum tenerae decerpens ora puellae*, imitatus poetas adiectiva solitos flectere in adverbia (*salve aeternum, perfidum ridens, pavidum blandita* al.), aucupatus nativam illam dulcedinem quam Gellius miratur in Theocriteo verbo ὦ τὸ καλὸν περιλημμένε; temere editores formosae basiationis loco nobis formosum viatorem proponunt. sequens igitur distichon totum hanc vim habet: cineri servas sarta, an lapidi qui iam te teget?

haesito in v. 29 *si sapis, aestivo recubans nunc proluere vitro, seu vis crystalli ferre novos calices*. nam quid adventor proluet vitreo calice aut novo ac ponderoso crystallino? 'correximus te *proluere*' Scaliger, adsensere viri. nihil in *nunc* vitii video, immo optime hoc iteratum est. mihi in mentem venerat *aestivom*, pro aestate id dictum prove rebus aestivis sic ut vernum pro vere, hibernum pro hieme, etsi non invaluisse talia nisi postmodo scio. perplacebat hoc: pulverem sudorem lassitudinem, aestatis quidlibet nunc proluere vino. quaerendum tamen est, quoniam *aestivo vitro* congruit memorata a Propertio IV 8, 37 *vitriq. aestiva suppellex*, an absolute in sermone volgi *proluere* dici potuerit qui se proluit aut proluitur potando, quemadmodum *lavare baden* saepissime dicitur qui aqua lavatur, *sich badet*, aut *luere capite* simpliciter qui ita luit delicta, aut cum plena dictio sit πίνεiv οἶνον, *bibere vinum*, adhortantes tamen non dicunt nisi πίνε, *bibas*.

III Etiam in Culice centiens mehercule restitui oportet Bembini et ceterorum codicum scripturas expulsas ab editoribus, ut menti satis fiat poetae, qui Ovidio vix posterior quaesitae doctrinae specimen artificiosum edidit suppositurus, nisi de Octavio sententia me fallit, Vergilio aut vati alii qui hoc quasi ludo ante sexaginta annos adulescentem delectasset principem. de magna

copia delibabo paululum, cum universam retractaturum se profiteatur amicus quocum coram aliquot versus disputans in summa re, acuendam esse curam enarrationis magis quam emendationis, me consentire cognovi.

v. 3 *lusimus: haec propter culicis sint carmina docta, omnis et historiae per ludum consonet ordo notitiaeque ducum voces, licet invidus adsit.* sic libri. id est: propter lusum de culice doctum carmen proponam quod concinat ordine et vocibus cum historiis et ἔπεισιν, licet incidam in invidiam. *haec propter* poeta dicit pro hacpropter, ut *post haec* plurimi pro posthac. doctrinae signa sunt doctosque arguunt *ordo*, ἡ τάξις καὶ οἰκονομία λόγων, et *voces*, ἡ φράσις, dilectus et figurae verborum. *notitia ducum* coniuncta cum *historia* ad epicam poesim spectat, cui Horatius in arte 73 res gestas regumque ducumque adsignat, in carmine Π 12 pedestres historias contra illas ponit quas vel de Titanibus vel de Numantino poetae scribunt scilicet *callentes mython, plasmata et historiam.* pergit iste lusor: quisquis invidebit, non tantum valebit quantum culex: recte libri *feretur.* posthac graviora, non ut nunc ludicra, *tibi musa loquetur nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus.* nam premitur adhuc aut premi se fingit poeta talibus temporibus, qualia olim Vergilium agitarunt nec securum otium nec securos laborum fructus praebentia.

favere canenti iubentur Phoebus dux Pieridum, tum Pales, denique Octavius. v. 20 *et tu, sancta Pales, ad quam ventura recurrunt agrestum bona fetura, sit cura tenentis aerios nemorum cultus.* sequor libros vetustos, nisi quod *recurrunt* ex Helmstadiensi adsumpsi, illi *recurrit, fetura* ex Vossiano, illi *secura.* ἀσύντακτον quidem hoc est σχῆμα *et tu — sit cura,* sed σχῆμα eoque ipso ποιητικώτερον quam *et tibi sit cura* aut *et tu cures.* Palem poeta invocat ut pastoriciae vitae eiusque quam inducit scaenae praesidem, feturam memorat ut proprium primumque munus deae, cuius ferias etiam fuere qui a pariendo Parilia appellari praeciperent, cum genuisse primo tum in futurum gignere deam significat bona rusticorum (cf. 58 *o bona pastoris*), nemorum cultus nove et audacter scribit, quia iam tritum erat *cultor nemorum* (georg. I 14), culex autem pastori v. 381 *tu cole* inquit *nemorum silvas,* hac quidem novitate vocabuli egressus etiam Ovidii Grattiique conata.

v. 24: *et tu qui scriptis meruisti ut iam tibi habeamus fiduciam, Octavi, meis adlabere coeptis,*

sancte puer, tibi namque canit non pagina bellum

27 *triste Iovis ponitque*

*Phlegra, Giganteo sparsa est quae sanguine tellus,
nec Centaureos Lapithas compellit in enses.*

vacuam quam reliqui partem versus 27 libri explent male repetito superiore hemistichio *canit non pagina bellum*. ita quae intereiderunt verba nemo ipsa poterit reparare, sed ex eis quae restant neque ullum mutari opus fuit, nempe Gigantomachiam planissime declarat oratio continens et *ponit* quadrat apte in compositionem carminis vel rerum dispositionem bellicarum, et facile intellegitur periisse verba recta a nomine *Phlegra*. velut haec idonea mihi visa ad resarciendum damnum *ponitque acies quibus horruit olim Phlegra*.

versum 37 sic legendum propono: *hoc tibi, sancte puer, memorabile, sit tibi certe gloria*, cum in libris feratur *memorabilis et tibi certet*, sic interpretor: hoc carmen tibi memoria ac laude dignum videatur, si minus, tamen fiat id quod intendi, sit tibi laudi in perpetuum. et tibi in sedibus piorum locus sit destinatus, et tibi in terris longa ac felix vita celebretur gratia bonorum. nam *remoretur* etsi ipse quoque viginti abhinc annos adscripsi in margine, nunc improbo: non sit tantum optatur, sed *memoretur* etiam vitae felicitas *grata bonis lucens*.

v. 47 *lurida* vocantur *gramina*, id est semiusta ac retorruida sole, qualia reapse apparent in *excelsi montis iugis summis* locis patentibus arduisque innata. contra in pastura capellarum *viridantia gramina* v. 50.

v. 51 pecudes *scrupea desertas haerebant ad cava rupes*. prius potiusque est *scrupea ad cava*, huic adpositum vel substitutum *desertas rupes*. talem implicationem verborum Latio ostendit primus Catullus, deinde multi probarunt ad hunc modum imitati *inter densas umbrosa cacumina fagos* vel *Paraetionias Eoa ad littora Syrtes*. istius licentia symplegmatis decentior fuit pentametro atque ex elegorum cultu in artem poetae mihi videtur perrepsisse. qui in collocatione verborum sive confusione quantum ausus sit, versu 57 demonstrat pulcre depingens capellam: *at illa imminet in rivi, praestantis imaginis, undam, αἴε ἐν ὕδασιν ἀριστὰ εἰδωλοποιουμένη*. similiter in v. 80 *qui mente procul pura sensuque probando non avidas agnovit opes* copulare nos dissoluta voluit et solvere copulata, *procul non agnovit opes, νόσφι ἐὼν*, non ratus fore in perspicua et aperta Epicureae sapientiae explicatione qui cogitaret structuram absurdam *procul a mente pura*.

v. 62 *si non dibapha fuerint*, hoc quod libri habent verbum

tenebimus. congruenter ac bene eidem v. 67 tempore futuro *nec pocula referent* *toreuma*. huic quod praecedit verbum v. 66 *nec fulgor manet*, etsi temporis est praesentis, vi tamen ac natura sua vicem gerit futuri, dicitur enim hoc 'et fulgor lapidum nulla utilitate cognitus erit', sed quo intentior fiat et obstinatio negatio, 'incognitus manet'. medium inter *fuertint* et *manet* verbum, v. 64 *si nitor auri animum non angit*, quod ita libri tradunt, id poetam credo scripsisse *anget*. at per *manet* adductum omnium extremum est *nec baca pretio est*, his quod finem faciat et transitum ad illa quae deinceps per triginta versus bona enumerantur tempore praesenti. quasi si praecidero: felicem pastorem, fugiet luxuriam, secatur simplicitatem. ceterum v. 66 *gratum Alconis Boethique toreuma*: in tot graecis nominibus numquid inutilius quam *Graium*? an opus est omnino obiectare sive Horati *pateras grataque aera* sive Martialis *plebeia toreumata*? Boethus quoniam caelator clarissimus et in eo honore habitus est prae quo Rhoeci aliorumque fama sordet, equidem pol nescio qui nomen istud venire in codices (*boethique*) potuerit nisi inlatum a poeta. quamquam hic in contrahendis vocalibus quod exemplum secutus sit mihi nondum constat, latinumne tale *coepi* an quod veri esse similis arbitror, graecum eius ipsius nominis exemplum quod contractionem receperit Ionicam ut βωθέειν.

v. 72 vernae imagini adiungitur autumnalis, sub vite ille iacet fistula canens, viridi *cum* palmitum purpurascens frondes operiunt eum amictu pampineo. purpura quidem non inest in verbis et superat veritatem rerum, inest et ex vero praedicatur palmitum viridum coma *lucens*. non minus revocari ex libris postulo v. 88 *illi Panchaia tura floribus agrestes herbae variantibus adsunt*: flores variant tura, id est spargunt odores cum similes turis tum plures etiam magisque varios. item v. 92 *quolibet ut requiem victu contentus abundet*, id est ut requiem habeat abundantem, nam accusativus ut poneretur, ad hanc audaciam contrarius impulit ablativus, aequae insolita Statius iunctura de Volturno *talia faucibus redundat* et saepius qui tum erant Graeci εὐπορεῖν τι προτινός. item v. 95 restituendum est *o gratissima tempe fontis Hamadryadum*. nam tempe cum semper incutiant audientibus aquarum cogitationem earumque non dissitarum aut multiplicium, sed unius in convallibus amnis lacus rivi, quibus tandem aquis tempe illa communia pastoribus omnibus poeta faceret perfusa nisi fonte Hamadryadum, id est nemorensi quolibet? norat fortasse quod Platon adtribuitur de Pane et Hamadryasin epigramma 24 Bergk.

interdum in hoc poemate ex seriis ac severis aliquid emicat festivitatis. velut facetiarum causa adlectum puto in v. 98 epitheton *apricas pastor agit curas*, quod proprie apricationem custodis, per translationem autem candorem et innocentiam declararet. et in versum 150 *quaqua* vocabulum vix dubium est quin adscitum sit propter ranarum voces quaxantium.

v. 101 *inevectus* in lexicis male explicatur quasi *in caelum evectus*, cum lex linguae flagitet ut non evectum intellegamus. comprehenditur paucis his versibus pastura antemeridiana aut praeteritur potius, sequitur hora septima v. 107 qua *iam medias partes evectus erat sol* et pastor pecudes in lucum, *densas cogebat in umbras. ut procul aspexit luco residere* — hoc enuntiatum sic coeptum non finitur legitime, sed digressio fit ab isto initio ad aliud atque aliud superveniente rerum copia et abstrahente ad nova orationis exordia, *luco residere, Delia, tuo quo quondam* — 115 *hic etiam Panes choros egere* eqs., per mythistorica aperitur via ad descriptionem luci amplissimam, enumerantur arbores plurimae, memorantur ramis insidentes aves, certantes cum avium cantu aquarum et ranarum et cicadarum strepitus, 154 *at circa cubuere capellae*, ita finita digressione resumitur tela exorsa superius sed relicta, 157 *pastor ut ad fontem densa requievit in umbra*, et iam tandem detexitur. callide poeta et singulari artificio hanc adparavit parecbasin, curavit enim atque adsecutus est pro viribus quod praecipiebant doctores et natura ipsa requirit, ut capiant intercurrentia animum et ducant delectatione reditusque ad rem aptus et concinnus fiat. dissentio plane cum editoribus qui non agnovere v. 109 suspensam ex industria enuntiationem et de aquis versus 148 s. ab eis disiungere qui sunt de ranis; excerpta plus fidei habent in syllabis et verbis quam in ordine versuum, ne in illis quidem multum, in hoc minimum.

IV Thibili in Numidia ara exstat sepulchralis cuius 'titulum lectu difficillimum Wilmanns summa cura descripsit', CIL. VIII 5530. nomen hominis quem circa annum Chr. 200 vixisse opinor, una cum novem primis versibus interiit, undecim fere supersunt mutilati sed Wilmanni aut Mommseni sollertia ita reconcinati, ut non multum requiras ad integritatem. eos ad hunc modum lego discriptos: *pro*[pinqu[orum omnium] amator et patriae, lae[sit ne]minem, clarissimoru[m virorum] et equit(um) R. propinquus, [eminens] eloquentia [et i]ndust[ria et in dicen]do orna[tu], m[o]bil[is dictam]ine, facilis extemporalit[at]e [dia]logorum et epistolarum e[t] edyltorum, conscripsit hacc quae ex[ta]nt [el]o[gi]is

*ea[ornata] pu[blicis], facilis in [carmina] annum X horum pars nimis incerta est, adeo ut quibus ex signis ego collegi *elogiis*, ex eisdem libri titulum ire possis recuperatum, *flores ex Livio*], certo tamen supplemento et *extant* refeci quod solet memorari in laudibus scriptorum (Gordianus *poemata scripsit quae omnia extant*, τὰ σωζόμενα) et *extemporalitate*, cuius vocabuli antiquissimum auctorem Suetonium habemus. nec mirabitur quisquam quod alia quoque adumbrata in hac vita concinunt cum vitis scriptis ab Suetonio; ut omittam rerum ordinem, hic in Persii vita Volaterranum primi ordinis viris coniunctum praedicat, ille Thibilitanum senatorum equitumque propinquum. *edyliorum* εἰδυλλίων, Graeca huius generis non nulla Latini per *e* efferre mauerunt velut quibus *r* adiungitur *Teresiam Perithoum* (hoc quidem nondum pernotuisse Horatii exemplaria recentia demonstrant carm. IV 7, 28): tanto proclivius ἡδύλλιον fuit Byzantinis. epigrammata intellegemus similesque minutias numeris vinctas, quales iam sub primis Caesaribus *crudi dictarunt proceres* atque etiam Trimalchio inter cenam fecit *non diu cogitatione distorta* (Pers. 1, 51 Petron. 55 Plin. ep. 4, 14).*

V Ostiis dum castra vigilum eruderantur, monumentum inventum est litteris pessime inscriptum his: *d. M. Marco Aurelio Parthenopco: non cot fata, set Palamedes* (*Notizie d. scavi* 1889 p. 19). interpretatur Lancianius *non quot fata voluerunt set quod voluit Palamedes*, videri occisum istum manu Palamedis cuiusdam. ego eum qui tabulam conscribillavit ad fabulam inclutam respexisse puto ac declarare voluisse commilitonem suum iniquo iudicio supplicioque peremptum: *pervenit ad aures nomen Palamedis, quem falsa sub proditione Pelasgi insontem infando indicio demisere neci* (Verg. Aen. II 81). εὖγε Μοῦσ' Εὐριπίδου.

VI Carmen graecum Romae inventum quod edidit Maruchius in actis antiq. christ. trimestr. 1889 p. 321, sic lego:

d. M.

Γαλλονίας οὔτ' ἔργον ὃ μὴ θέμις οὔτε τι ῥήμα,
ἀλλὰ δίκης αἰδοῦς τ' εἰς τέλος ἦ[λθεν] ἄκρον.

Σοῦ πατρός ἐξ ἠθῶν, ᾧ φίλε, καὶ διδαχῆς,

σῶν τε τρόπων ζῆλός με προήγαγεν ἐς τόδε, Μάρκ[ε].

v. 1 et 2 laudat mortuam Marcus coniugem ut videtur, v. 3 et 4 respondet Gallonia coniugi 'pervenit eo educata a patre tuo' eqs., v. 2 extremum in lapide legitur ακρον.

Chiae Liciniae titulus sepulcralis item Romanus, *Notizie* 1889 p. 194, distichon adiectum habet hoc, si exemeris pusillum mendum:

οὕτως πάντες ὄνασθε βίου πάροδοι, τόδε σήμα
ἄθραυστον τηρεῖτε ὠκυπόρου νέκυος.

VII Postquam in musei huius volumine XLI p. 160 primum et unicum quod tum erat exemplum maleficii commissi per imprecationem ab auriga demonstravi, statim aliae accesserunt eiusdem generis devotiones item ex Carthaginensi erutae sepulchro, inter quas ambitu copiaque dirarum eminent graecae duae exilissimis litteris ac paene inextricabilibus scriptae, quas cum publicaret ALDelattre *bull. de corresp. hellen.* XII 1888 p. 296 ss. collaudavit quidem sed non nominavit sodalem functum labore legendi extricandi transcribendi, perfunctum illum, quantum non viso plumbo videre licet, sane scientissime. lamella altera defiguntur Victoricus auriga factionis Venetae et quos agitaturus est equi ternarum quadrigarum, Secundini Iuvenis et Advocatus et Bubalus et Laureatus, ipsius Victorici Pompeianus et Baianus et Victor et Eximius, Messalarum Dominator et iugales. ter haec nomina diris inligantur, effigies exhibetur galli gallinaei digitis et capite defixi, numen invocatur inter cetera versu 23 dei caelestis τοῦ καθημένου ἐπὶ τῶν Χερουβί, ὁ διορίσας τὴν γῆν καὶ χωρίσας τὴν θάλασσαν, Ἰαώ . . . Ἀδωναῖ, quae verba partim ex psalmis 80, 2 99, 1 fluxerunt partim sensum exprimunt Iudaeorum, ut indicavit mihi Gildemeister conlega iam desideratus ac porro desiderabilis. in versu 14 legendum est ἴνα μὴ νε[ικ]ῶσιν, editum νέωσιν p. 302; in 31 supplendum ἴνα ἐπὶ νείκην μὴ ἔλθ[ωσι]ν ἐν τῇ αὖριν ἡμέρα ἐν τῷ κίρκω aut adiciendum etiam insuper aliquid propter capacitatem lacunae; clausula fuit nota illa incitatricis magici effectus ἦδη ἦδη, ταχὺ ταχύ, editor nescio quo lapsu tam in hac quam in altera lamella ταῦτα substituit. in describenda altera illa si paulo plus erratum est, quid mirum, quae LXXV versus recepisce narratur spatio longitudinem unius non excedente palmi? sic equorum nomina quorundam parum recte feruntur, Δουε pro Ἄουε ut opinor, Δεῖσιυτε pro Δεῖουτε. devotentur igitur bis duodeni equi, Venetianorum Eminens (legendum Ἡμίνευτε) Dignus Leno Paezon Chrysaspis Argutus Derisor Frugifer Euphrates Sanctus Aethiops Praeclarus; alteri duodecim ad quam pertineant factionem non indicatur, neque enim russatam notat *Roseus* ecus de suo vocatus rubore aut adsimilatus roseis quas Vergilius Aurorae tribuit quadrigis; eorum nomina haec sunt Roseus Silvanus Servatus Avis (masculino hoc dictum puta genere, ut communia fuere *oscen ales volucris* etiam in sermone populi avem soliti efferre feminine) Zephyrus Blandus Imbreus

(Ἰμβραῖον bis lammina, novum hoc videtur esse vocabulum, Imber aliunde innotuit circensis equi nomen, recurrunt autem talia saepius ut Bubalus et Pompeianus etiam Romae in Dioclis titulo) Dives Mariscus Rapidus Oriens Arbustus. simul devoentur agitatores illorum tres, Euprepes qui et Gentius, Felix, denique mimico cognomine oneratus Dionysius ὁ ἀποδάκνων καὶ λαμυρός. memoratu dignum est graecum scriptorem etiam in graecis vocabulis casualem figuram eam retinuisse qua volgus latinum utebatur, ut Δηρεισῶρε *Derisore(m)*, Ὀριέντε, ita Παίζοντε *Paezonte(m)*, Εὐπρεπήτε. ter descriptum est editumque ἅμα ubi ἄλλὰ oportuit: versu 16 p. 297 ne possint equi currere vincere egredi e carceribus μήτε προβαίνειν τὴν ἀρίαν μήτε τὸν σπάτιον, ἄλλὰ πεσέτωσαν σὺν τοῖς ἰδίοις ἠνιόχοις, item v. 41 neque progredi area neque circumire metas, ἄλλὰ πεσέτωσαν, denique in execratione aurigarum v. 52, ne possint videre adversarios suos ἠνιοχούντες, ἄλλὰ μάλλον ἄρπασον αὐτοὺς ἐκ τῶν ἰδίων ἀρμάτων et inflige in terram. ceterum utraque lamella praepositas aut intersertas diris habet voces sive syllabarum complexiones quas nemo expedire queat, minime sumptas ex lingua punica — nam id editor coniecit, at negavit Gildemeister — sed ut fit in magicis, abracadabra aut confusas disiectasque ad arcanum litteras. neque hoc praeteribo, quoniam in devotione quam explicui mus. XLI p. 160 picta est imago circi, illum qui XXIV equos inferis mandavit, deposuisse in olla etiam simulacra eorum, ὧν τὰ ὀνόματά σοι καὶ τὰς ἰδαίας παρακατατέθηκα ἐν τούτῳ τῷ σκεύει. Tertullianus, quantum memini, hoc genus furoris circensis tanquam ignotum sibi aut etiam tum infrequens non dixit distincte, tamen eius aetate inscriptiones has non adfirmo esse inferiores.

VIII Equorum curas et medicinas Gratiano aut Theodosio regnante amicis inlustribus conscriptas tradidit Pelagonius, huius veterinaria gratum quidem nobis fecerunt Sarchianus et Cionius (Florentiae a. 1826) quod primam praebuerunt perlegendi occasionem, sed nimis multis hoc exemplar deformatum mendis et ineptiis longe abest a fide ac fiducia. plurima in eo libro relata sunt superstitiosa remedia et qualia antiquis probabantur physica, si intestina equo doluerint ut servus in dextera ungula nomen domini eiusdem equi perscribat vel in os equi ter spuatur aut ut avis aliqua per ventrem dolenti et dorsum ter traiciatur in fasciae modum ac deinde viva dimittatur, talia ducenta. *sed et verba religiosa non desint* ait in cap. XX p. 76 ad viperæ morsum prodesset docens terram a formicis egestam quae faucibus equi cum

vino infundatur; itaque invocandum esse illi qui terram talparum coeperit tollere, Solem dominum equorum sic: *tu, Sol divine, calide et frigide, tantum mihi abalienasti*. magis in abstruso est notaeque secretioris altera quae in cap. VII p. 39 traditur ad dolorem ventris praecantatio, redacta illa in formam mythistoriae: *manu uncta oleo ventrem perfricato cum hac praecantatione: tres scrofae de caelo ceciderunt, invenit eas pastor, occidit eas sine ferro, coxit eas sine dentibus; bene coxisti, bene coxisti, bene coxisti*. scrofarum imago ut adhiberetur ad strophum ac πέψιν ventris, adiuvit sine dubio eius nominis ambiguitas, si quidem scrofae non solum ipsae vocantur suculae, sed etiam pullulantes maxime porcino ritu glandulae, αἱ χοιράδες, suilla autem glandia in deliciis fuere rusticis gulonibus. denique tertia ac dignissima memoratu praecantatio invenitur in cap. XIX p. 74 sic inscripta: *praecantatio ad equos hordeatos sive ad torsionem, Absyrti apopiras, ait. hoc esse Apsyrti, clarissimi et aetate proximi auctoris medicamentum ἀπὸ πείρας sive ut semel Pelagonius scripsit de experimento, non opus esset adnotare, nisi Sarchianum somniasse viderem ἀποπυρίαν 'panis genus qui super carbonibus coquitur'*. iam quae secuntur verba sic ut edita sunt propono: *Equus aeluris florinacus orcus cognatus orcus pedem indit: vidi non ego pedem orco, si torsionatus, si hordiatius, si lassus, si calcatus, si vermigeratus, si vulneratus, si marmoratus, si roboratus, si equus non poterit esse. Noctuum quia videor cum iis carminibus istis equis dabo remedium hoc carmen: in aurem dextram equo dices: semel natus, semel remediatus; et spuis in aurem: remediasti, si frequentius incantaveris*. prima absolute dicta videntur, quasi appellantia cui medicina quaeritur pecus equinum, emendanda hunc in modum: *equus teluris flori natus*. huic hostiliter orcus, cognatus orcus pedem indit; cognatus dicitur utpote telluris potens novimusque Ariona Adrasti eum etiam genitum ex Tellure sive Cerere, pes insigne priscum imperiosi orci liminisque inferi in Oedipode et Melampode, in tot ritibus sacris poeticisque fabulis, quin etiam in horribili quadam Africana Ditis aut daemonis pictura conspicitur. proxima verba rursus corrupta sunt, desideramus *quid non ego pedem orco, fortasse tamen praestat sic distribuere ista et supplere orcus pedem indit, vidi; nunc ego pedem indam orco*, certe vindiciis minisque orcus territatur si morbis implicet eum, si enicet. morbi et aegritudines per bis quaterna membra decurrunt concinentia numerorum percussione (ad has enim nihil differunt torsionatus et hordiatius, vermigeratus et vulneratus), item vocabulorum ter-

minationibus, tantum quod non scriptum est *lassatus*. dehinc evidenti opinor fieri emendatione *nocivum quia vidi* (vel *video*) *orcum, his carminibus istis equis dabo remedium*. iam finita est praecantatio, adiungitur quasi ephymnion hoc carmen in aurem dextram dicendum cum sputo *semel natus, semel remediatus*. Ap-syrty auctoritas quoniam praescripta est, dubitari nequit quin totum hoc caput atque etiam carmina translata sint de graeco, etsi dexteritate interpretis colorem acceperint latinum. Pelagonium autem quod graece scripsisse ipsum quoque contendunt plerique, id mihi minime persuasum est; sane ars ista prope omnis graeca et ex graecis hippiatris conversa pars libri maxima, latino tamen sermone usum esse Pelagonium vel praefatio declarat missa Ar-zygio. hunc virum clarissimum consularem Tusciae et Umbriae statuae honore nobilitatum a provincialibus, de quo viro Borghe-sius et Huelsen (*Not. d. scavi* 1888 p. 495) disseruerunt, etiam litterarum antiquarum historiae inserendum censeo, ut qui laudes equorum non modo lingua iactasse videatur sed etiam litteris mandasse sive poeticis, ut per epigrammata vel cynegetica (Nemesianus *cultusque mihi dicendus equorum*), sive Libanii rhetorumque more demonstrativis. ita enim Pelagonii ad eum epistula incipit: *cum] frequentissime te equos laudare, amare semper vehementer admirarer — nec inmerito rem tam nobilem, rem omnibus gratam amare non desinis, siquidem Sol ipse dominus orbis, decus mundi, solo equorum ministerio contentus cotidie aut cum ipsis aut per ipsos reddit optabilem lucem — imitarer quidem te et ipse, ut de ipsorum laudibus aliquid scriberem, si digna proferrem: nunc pauperem linguam nullus aut modicus sermo protelat, qui tamen tunc proferendus est, cum curas aut medicinas ipsorum loqui coepero. tu lauda, qui potes, tu dignus sermone proseguere, mihi sufficit sanare quod amo, contentusque sum me ex tua claritate florere.* eidem Arzygio equorum et medicinae amatori lubenter adsignare-mus epigramma Romae repertum correctum ab Huelseno p. 496: εἰκόνα τήνδε [θεῶ] νόσων παθέων τε ἐλατῆρι ἄνθεσαν Ἀρζύ-γιοι μακάρων τίοντες ἄρωγόν, nisi de sculptura obstaret testi-monium quasi longe ante facta (saec. II Chr.).

IX Nicaeae Ligurum hoc monumentum Hector Pais de-scripsit CIL. V supplem. italic. p. 140 n. 1031: *d(is) M(anibus)*. *Oconiae Secundinae uxori rarissimae, cuius in vita tanta obsequia fuerunt, ut digna memor(ia) eius esset remuneranda, set quoniam paupertas est impedimento so solacium, ultima* ^{ut expedire,} *mihī non magis quam Mommseno successit*. nec certi

quidquam datur, sed sententiam scriptoris explebunt haec *sic arcesso solacium*, nam brevem ac pauperem titulum sui doloris solacium opponit copioso opulento digno meritis uxoris.

tabellam plumbeam designatam in eisdem supplementis p. 220 n. 1090, 7 sic legit editor: *Secundula aut quis estis . . .* at ex forma ipsa agnoscimus *aut qui sustulet*. delatum igitur nomen est Secundulae ob furtum, et diris destinatum hoc plumbum separari oportuit a plumbeis pigmentorum tabellis ut 1090, 8 *Tigridis aurocolo(rii?) p(ondo) unum*, coniungi cum 1090, 11 ubi quod iteratum video *aut et mi tum*, id devotionis est indicio.

ibidem p. 210 n. 1080, 474 delineata est inscriptio quam vasculum habet festinanter factam atque ut adsolet inordinatis litteris parumque claris. nihil de ea editor adnotavit, ego lego *qui vel que fit amatus preses, dat coli. qui* pro cui accipio, *preses* non pro praeside nec vero preno sed pro praesente, *dat* fortasse ad propinationes spectat. haec utut sunt, iocus est verbumque nequam, ἦσι λάταγας τῷ Κορινθίῳ πέει.

in hoc titulo potest *que* legi, potest *qui*, si insequens ductus non litterae esse sed interpunctionis aut fortuitus creditur. pro *quoi* vulgus latinum etiam *quei* dicebat declinando, ut Pompeis in praeconio *equa siquei aberavit cum semuncis honerata*. in omni scripturae genere facillime permutantur *que* et *qui*. memini Plauti quem in Rudente 933 ss. utinam Schoellio persuadeam anapaestos fecisse continuos et quidem hos: *ubi nobilitas mea erit clara, oppidum magnum communibo, ei ego urbi Gripo indam nomen, monimentum meae famae et factis, ibi qui regnum magnum instituam*. quod in libris fertur *ibique*, claudum reddit pedem metri et gressum orationis.

X Praeterierunt etiam litteratissimi viri qui Siculorum et Latinorum communia vocabula recensuerunt, Ahrens ceterique hoc testimonium quod Nonnus poeta in Dionysiaceis perhibet IX 22, deductum ut opinor ex grammaticorum ut Tryphonis vel Philoxeni de dialecto Syracusana commentariis: Διόνυσον vocatum esse quod claudicarit Iuppiter eum gestans femori insutum, νύσος ὅτι γλώσση Συρακοσσίδι χωλὸς ἀκούει. nam quomodo ῥυσός et ῥυτίδες cognata sunt, similiter νύσος et *nutus*, Latinique *nutandi* et *nutabundi* verbis eandem istam notionem vacillandi et claudicandi adnexuerunt quam ex *vu-* Syracusani elicuerant seorsum a ceteris Graecis. Claudianus in podagrum LXXIX Gesn. '*claudicat hic versus, haec*' inquit '*syllaba nutat*' atque nihil prorsus stare *putat podager*.